



Henicricus huius nominis tertius Conradi im-
 peratoris & Gisela nobilissimæ foeminae fili-
 us fuit. Is à parentibus pietate & disciplinis opti-
 me institutus, atq; uiuo patre consors imperij ascii-
 tus, ac Romanorum rex designatus est. Id quod
 postea electores confirmarunt. Erat enim prin-
 ceptus pius, mitis, facetus, hilaris, liberalis, & hosti-
 bus formidabilis. Defuncto eius patre, mox in re-
 belles Bohemos exercitū duxit, quod annum
 censum (nimirum centum præpingues boues, &
 quingentas argenti marchas debitas & promissas)
 dare recusarent. Ea autem expeditione in syl-
 uis, quæ ueluti propugnacula Bohemiam undiq;
 cingunt, non ex animi sententiâ res successerunt. Nam hostes se-
 ctis & truncatis arboribus uias occluserant, atq; interceptos aliquot milites interfecerāt,
 ut Cæsar irrito conatu redire ad sua coactus fuerit. Itaq; paratiore exercitu in-
 structus, denuo hostes aggreditur, atq; ferocem gentem adeo perdomuit, ut
 etiam Vratislaus dux illorum uiuus in eius potestati perueniret. Hunc mox
 coëgit mille quingentas argenti marchas adeoq; trium annorum tributum
 soluere, obsides dare, & Ratisbonæ principum Imperij sententiâ expecta-
 re. Eodem bello Petrus rex Vngariæ Bohemis subsidio contra Cæsarem fuit,
 qui tamen mox Henrici opera indigebat. Cum enim ille externos homines
 plus Hungaris diligere uideretur, ab aduersarijs Vngaris conspiratione facta,
 regno pellitur, atq; Aba rex eligitur. Petrus itaq; in Bauariam fugiens, Henrici
 Cæsaris opem petit. Id ubi rex Aba intellexisset, missis legatis Cæsaris ani-
 mum tentare, & in suas partes pertrahere conatus. Cum uero spe sua frustrare-
 tur atque sese hostem declaratum cognosceret, subito coacto exercitu Au-
 striam ipsam atque Bauariam ad utranque Danubij ripam hostili excursione
 depopulatur. Eodem tempore & Carinthiam deprædatus est, atque magno
 captiuorum numero & ingenti præda in Hungariam reuertitur.